

merito rebatur. <sup>a</sup> Nam beneficia eò vsque læta sunt, dum videntur exolui posse: vbi multum anteuenere, pro gratia odium redditur. Erat vxor Silio Sofia Galla, charitate Agrippinæ inuisa principi. Hos corripit, dilato ad tēpus <sup>1</sup> Sabino, placitum: immissusque Varro consul, qui paternas inimicitias obtendens, <sup>b</sup> odiis Seiani per dedecus suū gratificabatur. Precāte reo breuē morā, <sup>c</sup> dū accusator cōsulatu abiret, <sup>d</sup> aduersatus est Cēsar: solitū quippe magistratibus, diē priuatis dicere: nec infringendū cōsulis ius, cuius vigiliis niteretur, ne quod Resp. detrimētū caperet. Propriū id Tyberio fuit, <sup>e</sup> scelera nuper reperta <sup>2</sup> prisicis verbis obtegere. Igitur multa adseueratione, <sup>f</sup> quasi aut legibus cum Silio ageretur, <sup>g</sup> aut Varro consul, aut illud Resp. esset, coguntur patres, silente reo, vel si defensionem cæptaret, non occultante cuius ira premeretur. conscientia belli, Sacro uir diu dissimulatus, victoria <sup>h</sup> per auaritiam fædata, & vxor Sofia argue-

<sup>1</sup>. cuius exitum memorabit hoc ipso libro.

<sup>2</sup>. è veterereop. prius.

## OBSERVATIONES.

a Hæc est natura principum, vt se nemini, at verò cunctos mortales sibi diuinctos esse & existiment ipsi, & id ipsum ab omnibus existimari velint. Quòd si forte accidit, vt ipsi beneficium ab aliquo maius acceperint, quàm vt reddendū gratia pares sint, quia illum hoc factò supra se esse vident (id quod natura principatus nullo pacto ferre potest) tum verò non de honestando illo (id quod pro illius merito sat dignè facere se non posse vident) sed de perdendū cogitant, nimirum, beneficia eò vsque illi, in quem conferuntur, læta sunt, dum videntur exolui posse. Vbi multum anteuenere, pro gratia odium redditur: siquidem è beneficiis transcunt in iniuriam; cui, vt ait Tacit lib. 5. hist. proclitius est, quàm beneficio vicem exoluere; quia gratia oneri, vltio in questu habetur.

b Quid sceleris, quidue iniquius dici potest, quàm abuti magistratu ad vltionem priuatarum, atque ad ò alienarum iniuriarum? certè qui magistratu fungitur parum existimationi, & nomini suo consulit, si tunc temporis priuatis aut alienis odiis indulget; atque autoritate non ad reip. utilitatem, sed ad auendam rem suam abutitur.

c Cum vnus magistratus vigilis nitatur, ne quod d. innum resp. capiat; dum publica munera exequitur, non debet illi licere, rem suam priuatam ita curare, vt ipse in sua causa iudicet, atque iniqua concertatione, & nimia potentia aduersarium priuatum hominem peruerat.

d O malos principes, qui autoritate magistratum ad scelera, & immanitates abutuntur.

e Tyrannus tyrannidem, eaque omnia, quæ ad hanc stabilendam, & confirmandam pertinent, (quæ sepius sunt terribima flagitia) prisicis verbis, hoc est petita è veterereop. nimirum, equi, honesti, publicæ securitatis ac libertatis obtentu tegit, quasi non sua ipsius, sed reip. salus agatur: cum tamen hæc specie egregiè abutatur ad ea patranda, quæ in animo habet, atque ad ò ad corrumpendam libertatem, & corroborandum principatum.

f Libera reip. maxima, & verissima argumenta hæc sunt: cum nullius potentia æquatur legibus, aut supra illas est: sed vnus his quicquid inter ciues controuersie oritur, ex æquo dirimitur. cum magistratus non cuiusquam potentie, aut studii, per dedecus suum gratificatur, sed maiestate & æquitate sua nituntur: cum resp. nullius dominatu oppressa seruit, sed singulis libertas æqua est. At verò cum hæc omnia in contrarium versa sunt, neque vsquam leges, magistratus, aut libertas conspicitur, ibi nullam omnino esse reip. sed cuncta tyrannidem inuasisse dicendum est.

g Hic locus nihil aliud continet, quàm irrisionem illius prætextus, sue obtentus, quo utebatur Tyberius, qui ita in perdendo Silio loquebatur, ac si non priuata odia exerceret, sed Consulis maiestatem reique pub. libertatem defenderet.

h Hoc demum rebus ab imperatore feliciter, & præclare gestis magnam labem aspergit, victoriæ virtute partem auaritia sedare.